Virorum Optime, Nobilissime
DOMINE,

An ipsum Parentem meum nunc comiter, an ejus tantùm litteras, dubium sit: eccè enim litteras, et eccè ipsum Parentem sic vides; vivum quoque, quia ab hoc pectore, quicquid in ejus litteris scriptum est, depromitur. Imago acuratissimè corpus repræsentat, litterae verò animum tibi exhibent, et hoc modo præsentem PVTEANVM habes, quia videri et audiri absens potest. Sed cur ego plura? sinam Parentem loqui, sinam Te quoque avidissimo conspectu ejus frui; qui enim à Te amatur, videri vel in imagine libentissimè debet. Adjungo PVRPVRÆ frontispitium, de quâ Parens mentionem facit; et quod Parens in gratiam typographi sui CNOBBARI, in gratiam quoque mei, Sororisque EVGENIAE postulat, ego pariter commendo. Verbo: Videre quem amamus sic poterimus. Te enim videre cupimus, quia amamus; à Te autem nos amari intelligemus, si nobis licitum erit eo proficisci, ubi conspectus tuus exhilarare nos poterit. Sic Vale, et familiaritatem hac meam boni consule.
Antuerpiae. Eidibus Ianuarij. ∞.IↃC.XXXV.

Cultu et obsequio
semper TVVS
Justus Cæcilius Puteanus.

Titulos meos an cupis?
PVTEANI sum filius,
Patricius Romanus,
Protonotarius Apostolicus, Arcisque Lovaniensis Præfectus.

© British Library
Add MS 22953, f. 176
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1059